

tutem sequitur divinam. Quemadmodum verum est, si qua peperit, cum viro concubunt, verum autem circa pariendi vel concipiendi modum, quem novit natura, non autem verum circa modum quem naturæ non inæertum supra naturam penes se habet auctor et institutor naturæ. Ut autem virtus Dei et in mensa valde transgreditur communem naturæ modum, ita et sensum, præcipue vero humanum corruptum atque infirmum, nec in ullo quidem effectu virtutis divinæ, æque ut in Dominici corporis et sanguinis sacramento, deficere videtur vis rationis humanæ. In aliis fortasse aliquid potest, hic vero quid? Nunquid ei capabile est *qualiter substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Domini conversa* non tamen conversa sunt pariter, sed manent immutata, *sine panis et sine vini substantia*, tam panis quam vini accidentia? Quomodo accidentia sine subjecto, vel hæc accidentia in quo nata sint sine subjecto? Via in istis est ignota rationi, sed non penitus ignota fidei. *Ratio hic totum ignorat, sed fides præsumit quod ratio non capit.* Ex rationis defectu proficit fides. Novit fides per gratiam, quod ratio per nullam scire potest experientiam. Quo autem hic

A ratio infirmior, eo fides fortior. Quo ratio hic minus vel nihil operatur, eo fides plus vel totum operans amplius meretur. Libenter igitur ratio hic succumbat, ut fidei meritum accrescat. Non invidet fidei merito, quia quod fides meretur, non meretur sibi ipsi, sed potius rationi. Fides enim evacuabitur [*supp. forte charitæ, aut ratio*], permanebit et merito fidei promovebitur. Fides non nisi in via, ratio autem erit et in patria, et ibi plena. Fides seminat, sed ratio metet. Pro merito fidei ratio remunerabitur, quia ad meritum quodammodo cooperatur, et non nihil, imo multum meretur. Meritum enim rationis est, quia se simplicitati non præfert fidei; non nititur præcedere, sed sequi. Quod si hoc non potest, non tamen contradicit, non inicitur suæ virtuti, sed gratiæ Dei. Cedit gratis, palmam concedit fidei; dat gloriam Deo constans ipsum potest facere [*f. melius ipsum posse facere*] quod ipsa non potest capere. Potissimum vero circa hoc sacramentum suum **1107** experitur et agnovit defectum omnimodo, nisi quia vel hoc videt esse rationabile, ut in Dei secretis homini ad credendum traditis, **1108** quod penetrari non potest ratione, non tamen excidat fide.

IN LIBRUM SEQUENTEM BREVE MONITUM.

Librum hunc De expositione missæ erimus e manuscripto Colbertino, optimæ notæ et sexcentorum circiter, ut conjicere potuimus, annorum, n. 6101. Ex hoc autem initium Expositionis missæ, a Melchiore Hittorio Colonis editæ anno 1568, e vetustis codicibus, quos non designat, desumptum esse manifestum sit, ex verbis scilicet ejusdem ipsissimis, usque ad Introitum missæ, a quo sunt omnia omnino diversa. Hanc autem eo probabilius Hildeberto tribuendam esse duximus, quo magis allegorias Hildeberto familiares sapit, et majorem habere videtur affinitatem cum cæteris ejus de sacra eucharistia poematibus, quorum præcipuo (quod huic Expositioni consequenter atteximus), et indubitanter Hildeberto in omnibus editionibus, et etiam ab ipso Hittorio tributo, in sua illa auctorum de divinis officiis collectione, immediate subjungebatur in præfato manuscripto Colbertino 6101. Hanc porro præparationis methodum ad finem hujus ms. positam, ut ad rem opportunius, in ipso initio ponendam esse duximus.

VEN. HILDEBERTI

LIBER

DE EXPOSITIONE MISSÆ.

(E. ms. Colbertino, n. 6101. Nondum editus).

Qualiter se præparare debeant sacerdotes, qui ad efficiendum corpus et sanguinem Domini accedunt.

Fugienda est sacerdotibus, qui ad efficiendum corpus et sanguinem Domini accedunt, superbia, invidia, detractio, murmuratio, odium, cupiditas, avaritia. Unde dicit Apostolus, quoniam qui talia agunt, « regnum Dei non possidebunt (I Cor. vi, 10). » Vitanda sunt et levia, et venialia peccata, in quantum possibile est humanæ naturæ, et præ-

C stiterit gratia divina. Debent summo opere amplecti castitatem, et continentiam studere. Si laicus, ut quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali; dicit enim Apostolus: Nolite fraudare invicem, nisi ad tempus, ut vacetis orationi (I Cor. vii, 5); » ergo sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est; ergo laico semper carendum matrimonio.

« Qui enim manducat et bibit indigne, judicium

sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini (I Cor. xi, 29). » Augustinus (78): Talis erat Judas, et tamen cum sanctis apostolis Christi intrabat et exibat. Ad ipsam cœnam Dominicam pariter accessit. Conversari cum eis potuit; eos inquinare non potuit. De uno pane et Petrus accepit, et Judas; et tamen quæ pars fidei cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam; Judas ad mortem. Sicut ergo odor bonus, ita et cibus bonus. Bonos vivificat, malos mortificat. Sicut enim Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non, malum accipiendo, sed male [bonum] accipiendo, locum in se diabolo præbuit (79), sic indigne quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit, non quia ipse malus, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil accepit. Corpus enim Domini et sanguis nihilominus erat, etiam cum illis, quibus dicebat Apostolus: « Qui manducat indigne, judicium sibi manducat et bibit (I Cor. xi, 29) » Quisquis autem in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei judicant [præjudicant] aliena peccata, quia unusquisque in ea proprium onus portabit. Et quisquis in ea corpus Christi manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit.

1100 Ordo de vestimentis sacris, et in primis de amictu.

Amictus est primum vestimentum quo collum undique cingimus. In collo namque vox est; ideo per collum, loquendi usus exprimitur. Per amictum, intelligimus custodiam vocis, de qua Psalmista ait: « Dixi: Custodiam vias meas (Psal. xxxviii, 1). » Et: « Posul ori meo custodiam (ibid., 2). » In isto primo vestimento admonetur castigatio vocis (80).

De alba.

Postea camisiâ induimus, quam albam vocamus quæ debet manus ac brachia stringere sacerdotis, ne quid nisi utile faciat; pectus, ne quid inane cogitet; ventrem, ne ultra modum delicias appetendo, se gulosum facere præsumat; subjecta ventri membra, ne lascivendo, totam sacerdotalis habitus pulchritudinem corrumpat; genua, ne ab orationis instantia torpeant; tibias et pedes, ne ad malum currant. Induantur ergo sic sacerdotes, ut et corpus ab iniquis operibus, et mentem a pravis cogitationibus compeſcant.

De cingulo.

Camisia cingulo continentie constringitur, præcipiente Domino: « Siat lumbi vestri præcincti (Luc. xii, 35), » ut per duas virtutes, id est obedientiam Dei, et naturalem disputationem (scilicet naturalium mortificationem), constringatur omnis voluptas.

De stola.

Per stolam designatur onus leve et suave, de quo dicit Dominus: « Tollite jugum meum super vos (Matth. xi, 29). » Et: « Jugum enim meum suave est (ibid., 30). » In eo quod stola ad genua tendit,

(78) D. Aug. in cap. vi Evang. S. Joan., tract. 36.

et in cap. xiii, tr. 71

(79) Enar. in ps. iii.

quæ solent curvari, causam humilitatis intelligimus de qua Dominus dicit: « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde (Matth. xi, 19). »

De casula.

Casula quidem pertinet ad omnes clericos generaliter. Significat opera quæ pertinent ad omnes. Hæc enim sunt fames, sitis, vigilia, nuditas, lectio, psalmodia, oratio, labor operandi, doctrina, silentium, et cætera hujusmodi. Qui istis operibus vestitur, casula indutus est.

De sudario [seu manipulo.]

Sudarium, quod manipulum vocamus, **1110** significat studium mundæ cogitationis, quo naturales, et velut ingenitas nostras delectationes studemus stringere. In manu sinistra portatur, ut ostendatur in temporali vita tedium nos pati superflui humoris, hoc est carnalis delectationis. Habet etiam mens aliquoties tedium, dicente Psalmista: « Dormitavit anima mea præ tædio (Psal. cxviii, 28). » Per sudarium, intelligimus mundas cogitationes, de quibus detergimus molestias animi, et infirmitates corporis.

De missa.

Missa pro multis causis celebratur. Prima, ut rogemus Deum; secunda, ut suscipiat Deus preces nostras et oblationes; tertia, præ offerentibus et defunctis; quarta, pro osculo pacis; quinta, ut sanctificata sit oblatio; sexta, ut confirmetur per Spiritum sanctum oblatio corporis et sanguinis Christi; septima, ut cantetur *Pater noster* (Matth. vi, 12), in quo continentur septem petitiones, id est tres spirituales, et quatuor temporales. Hanc orationem prius docuit Dominus discipulos et apostolos suos; de qua dicit propheta: « Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit (Joel. ii, 32). » Septem sunt numero, pro septem donis Spiritus sancti, vel pro septem gradibus Ecclesiæ. Cur quotidie iteretur ista oblatio, cum Christus salvaverit mundum per passionem suam, et mors illi ultra non dominetur? Pro multis est causis. Prima, eo quod peccamus quotidie; secunda, eo quod corpus Christi pœnitentibus post peccata offerre jubeatur, ut salutem per corpus Christi inveniant, atque exeant post pœnitentiam; tertia, ut magnum beneficium passionis Domini oblivioni non tradatur; quarta, ut similet diem iudicii in Ecclesia, in quo justi ab injustis separantur.

De Introitu.

Introitus missæ dicitur eo quod per eum introitus fiat ad missæ ejusdem officium. Versus cantatur eo quod per eum revertatur ad introitum. *Gloria* cantatur, ut ostendatur Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum æqualem habere gloriam, et cœternam majestatem. In principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen; id est in præterito, præſenti, et futuro tempore.

(80) Ita pontificale Romanum in ordinatione subdiaconi.

De Kyrie eleison.

Kyrie eleison celebratur, ut Pater, qui **1111** tradidit Filium suum unicum pro nobis, eruat nos a pœnis inferni. *Christe eleison*, ut et Filius Dominus noster Jesus Christus una cum Patre liberatis a pœnis perpetuis, det nobis vitam æternam, ut ipse ait: « Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus (Joan. xii, 26). » *Kyrie Domine*; *eleison miserere* interpretatur.

De Gloria.

Gloria in excelsis Deo cantatur, ut ostendatur nato Christo gloriam in excelsis esse angelis, qui nunquam peccaverunt, nec discordiam cum Deo habuerunt; et pax a Christo Jesu in omnibus hominibus facta bonæ voluntatis, qui usque ad nativitatem Christi propter sua peccata discordiam cum Deo et cum angelis habuerunt.

De oratione.

Oratio dicitur ab orando, eo quod per ipsam orantur bona populo; Collecta vero, eo quod colligitur populus in unum ad orandum.

De epistola.

Epistola legitur, ut ostendatur per Evangelium Christum prope venturum. Epistola enim *supramissa* dicitur eo quod sit missa ab apostolis super legem Moysi, et super prophetas. Significat autem Joannis prophetiam, qui Christum prope esse annuntiabat.

De graduali.

Responsorium dicitur a respondendo, eo quod uni inchoanti nititur, ut laudem universus referat populus. Quod graduale dicitur ab aliorum responsorium distinctione, quia hunc gradibus psallunt, et uno cessante hoc ipsa cæteri respondent. Sequitur versus. In versu necesse est ut suas cogitationes cantor ad se trahat, et secum cogitet quomodo, aut quid a magistro didicerit.

De tractu (81).

Tractus aliquando tribulationem, ut est *De profundis*, et *Commovisti*; aliquando lætitiã sonat, ut *Jubilate*, et *Laudate*.

De Alleluia.

Alleluia lætitiã, sive laudem Domino sonat in recordatione æternæ gloriæ. Versus tangit cantorem, ut interius cogitet in quo habeat laudare Deum, aut in quo lætari. *Alleluia* dicitur: *Laus tibi, 1112 æternæ* [supp. Deus]. Lu. *Laus tibi, lucis* [supp. auctor] *Laus tibi, illuminatio lucis.* Illa jubilatio, quam *Sequentiam* vocamus, illum statum ad Dominum Deum nostrum dicit, quando non erit necessaria locutio verborum, sed sola cogitatio mentis internæ monstrabit quod retinet in se.

De evangelio.

Evangelium dicitur *bonum nuntium*, quia annuntiat nobis nativitatem Christi, improperia, passionem, sepulturam, resurrectionem, in cælum ascensionem, in fine mundi ad judicandum adventum;

A annuntiat quoque nobis in futuro vitam post mortem, requiem post laborem, regnum post servitium. Legitur evangelium post epistolam, ut per ipsum populo ejus prædicatio annuntietur.

De Symbolo.

Cantatur *Credo in unum Deum*, ut quia audivit populus Christum in analogio prædicantem, ostendat qua credulitate accipiat ejus doctrinam.

De offerenda.

Offerentibus hominibus cantus celebratur, ut ostendatur homines debere gratias et laudes Deo referre, dum manibus cæterisque membris agere satagunt et operari, quibus valeant ei placere.

De officio missæ.

B Solent quærerere quidam simplices a quo loco totius officii missa inchoetur, ut si forte ad totum officium non occurrerint, possint scire quibus officiis se representare debeant, sine retractatione. Missa igitur vocatur ab eo loco ubi incipit sacerdos Deo sacrificium offerre, usque ad *Ita missa est*. Celebratio denique hujus officii ita currit, ut ostendatur quod illo in tempore actum sit circa passionem Domini, ejusque sepulturam, et quomodo nos id ad memoriam reducere debeamus per obsequium nostrum, quod pro nobis actum est. De offerenda in libro Paralipomenon scriptum est: « Ingressi sunt sacerdotes ad Ezechiam regem, dixeruntque ei: Sanctificavimus altare, et omnem domum Domini et holocausti (II Par. xxix, 18). » Et post pauca: « Consurgens rex Ezechias adunavit omnes principes civitatis, et ascendit domum Domini, obtuleruntque simul tauros septem, et arietes septem, et agnos septem, et hircos septem pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro populo, dixitque sacerdotibus filiis **1113** Aaron ut offerrent super altare Domino. Constituit quoque levitas in domo Domini cum cymbalis, et psalteriis, et citharis secundum dispositionem David. Cumque offerretur holocaustum, ceperunt laudes canere Domino, et clangere tubis, atque in diversis organis quæ rex David præceperat concupere. Omni autem turba adorante, cantores, qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec impleretur holocaustum. Cumque finita esset oblatio, incurvatus est rex, et omnes qui erant cum illo, et adoraverunt (*ibid.* 20 et seqq.). » Similiter nunc in ecclesia lecto evangelio populus offert, chorus cantat, sacerdos suscipit, Deoque corde, et ore, et manibus representat, et incurvatur et orat. Officium igitur quod nos dicimus Offerendam ab eo loco inchoatur ubi post evangelium sacerdos dicit: *Dominus vobiscum*, et finitur in eo loco ubi excelsa voce dicit: *Per omnia sæcula sæculorum*. Ideoque quod novissimum est, excelsa voce profertur, ut audiatur a populo, et populi responsione confirmetur oratio. Christus enim dignatus est venire Jerusalem die Palmarum, et ibi exspectare diem immolationis suæ, descendit de monte Oliveti, turba multa

(81) De tractu et alleluia vide supra sermonem 141, sub finem.

veniente illi obviam, et salutatum etiam secundum bonum morem antiquæ in Judaismo traditionis. Quapropter salutat sacerdos populum, dicens : *Dominus vobiscum*. Postea dicit : *Oremus*, hos admonens ut unusquisque offerentium ad suam conscientiam revertatur. Si quis habet ad immolandum, immolet, id est si quis conscius est proprii vitii, roget ut mucrone invisibili nunc moriatur. Si quis habet voluntarium sacrificium, sive pro quacunque re id precetur antequam de manu ejus exeat, ut acceptabile sit Domino, ne despiciatur, sicut despectus est Cain, quia non recte offerebat.

De corporali.

Interim ponitur syndo [seu syndon] in altari, quam solemus corporale nominare. Admonentur omnes, populus scilicet, et ministri, et ipse sacerdos, ut, sicut illud linteum castigatum est ab omni viriditate et humore naturali, ita sit mens offerentium ab omni carnali cupiditate. Dum sacerdos suscipit oblationes, cantores cantant, quia quoad turba cantabat : *Hosanna in excelsis*, Christus eorum vota suscipiebat Puritas lintei, puritatem mentium eorum signat qui Domino cantabant.

Item de officio.

Sacerdos, suscepta oblatione eorum quibus licitum est offerre, redit ad altare, ut in eo disponat oblationes coram Domino, quas illi immolaturus est in sequentibus misæ. Christus enim post accepta vota cantantium Jerusalem et templum Domini intravit, in quo erat altare, ibique presentavit se ad immolationem futuram. Cantante interim choro redit sacerdos ad altare, et orat, quod cæteros præmonet facere, ubi dicit : *Oremus*; quod facit ipse. Orat enim prius pro delictis suis, ut dignus sit ad altare accedere, et ad lactum [ejus,] ne fiat illi quod factum est Bethsamitis, qui timere viderunt arcam Domini; de quo scribitur in libro Samuel : « Quia percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis (1 Reg. vi, 19). »

De thuribulo.

Ex thuribulo quod super ipsum sacerdos post orationem demonstrat, per quem et propitiari dignetur Dominus, videlicet, per Dominum nostrum Jesum Christum, cujus corpus designat thuribulum, de quo scriptum est in Exodo : « Ut offeratur in eo thymiama Domino, ne forte moriatur (Exod. xxx, 20). »

Tunc versus sacerdos ad populum, dicit : *Orate pro me, fratres, etc.*

Oratio secreta dicatur.

Secreta ideo nominatur, quia secreto dicitur, et solius est sacerdotis soli Deo offerre sacrificium. Num ideo quia cogitationibus Deo loquimur, non est necessaria vox reboans, sed verba tantum, ut eisdem admoneatur sacerdos quid cogitare debeat. Dicit etiam sacerdos secretam, ut secreta Christi quæ illo tempore agebantur; nobis ad memoriam reducantur. Agnus quippe Paschalis latebat in Christo qui immolandus erat. Hoc secretum erat apo-

stolis. Erat secretum cæteris fidelibus qui cum eo erant, usque ad diem Cœnæ, quo ipse aperiens manifestare dignatus est passionem suam. Erat secretum populo Judæorum et spiritibus malignis. De quibus dicit Apostolus : « Quod si Deum cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (1 Cor. ii, 8). » *Per omnia sæcula sæculorum*. Respondet populus ejus confirmans orationem : *Amen*. Et sacerdos dicit : *Dominus vobiscum*. Salutat sacerdos populum, deprecando ut Dominus sit cum illis. Populus contra orat pro sacerdote, ut simul cum suo spiritu sit Dominus : *Et cum spiritu tuo*. Et sacerdos : *Sursum corda. r. Habemus ad Dominum*. Unde beatus Augustinus : Nos, inquit, visum [f. versum terram] adhuc sumus, sed cum cogitamus quomodo in cælo laudetur Deus, cor ibi habeamus, et non sine causa audiamus : *Sursum corda*. Levemus cor sursum, ne putrescat in terra. *Gratias agamus Domino Deo nostro*, pro tantis donis auditoribus confirmat. *r. Dignum et justum est*. Hic necessario extollitur vox. Clamat, inquam, sacerdos ad populum, ut quod ipse jam habet, habeat et ille; hoc est, sursum corda, ac deinde ut gratias agat Deo pro serenitate mentis. Quod omnibus licet agere simul, id est gratias referre Deo, hoc acclamatur. Quod ad sacerdotem solum pertinet, id est immolatio panis et vini, secreto agitur. Hoc vero officium præfatio, sive præparatio dicitur, quia præparat fratrum mentes ad honestatem in conventu reverendo sanctorum angelorum, qui solent adesse consecrationi corporis Christi; et ideo excelsa voce cantatur. Inchoatur autem a salutatione, quando dicitur ante *Sursum corda*, et finitur in hymno *Sacculus, sanctus, sanctus*, etc. Præses hic officium illud nobis ad memoriam reducit, quando Christus ascendit in cœnaculum magnum stratum, et ibi multo locutus est cum discipulis suis, et hymnum retulit Deo Patri, quem Joannes commemorat, usque dum exiret in montem Oliveti, ubi gratias egit Deo Patri. Ibi hymnum cantavit, in quo precatas est Patrem, ut discipulos suos liberaret a malo, et quæ sequuntur in eodem Evangelio. Altare igitur est mensa Domini, in qua cum discipulis convivabatur. Corporale, linteum quo erat præcinctus; sudarium, labor de Juda prolitore. Ascendit igitur in cœnaculum vice Christi, quando dicitur : *Sursum corda*. Auditores respondent : *Habemus ad Dominum*, etc. Sequitur : *Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum*. Ait Apostolus Paulus (Ephes. i) instaurari omnia in Christo, quæ in cælis sunt, id est quod inde lapsum est in angelis, ex hominibus redintegratur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt in æternam vitam, et a corruptionis vetustate renoventur; ideoque sacerdos dicit : *Per quem majestatem tuam laudant angeli*. Hic etiam ordo archangelorum subintelligitur. *Adorant dominationes*.

comprehendit hic etiam sanctorum spirituum principatus. *Tremunt potestates, cœli cœlorumque virtutes.* Per cœlos, qui sedes Dei sunt throni intelliguntur, quibus ad exercendum iudicium suum Deus omnipotens semper **¶¶¶** præsidet. *Ac beata seraphim socia exsultatione concelebrant.* Per seraphim quoque et cherubim intelligitur ordo, scilicet vicinus ei et proximus. De his novem ordinibus beatus Gregorius papa (82) satis in quadam homilia Evangelii disseruit; quod in suis, qui vult, inveniet locis. Horum igitur novem ordinum angelorum in divinis laudibus assiduitas, acceptabile Deo sacrificium intelligitur, eisdemque ordinibus prælibatis ordo decimus conditionis humanæ annexus est, et ex ejus voce dicit sacerdos: *Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplicii confessione dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus.* Sequitur **B** hymnus; et ideo dicitur hymnus, quia refertus est gratiarum actione, et laudibus angelorum. Hic hymnus additus est a Sixto papa. Ordo in unum dicit: *Hosanna in excelsis! Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis!*

Hinc Isidorus: Hosanna, inquit, in alterius linguæ interpretationem ex toto transire non potest. Osi enim *salvifica* interpretatur. Anna interjectio est, motum animi significans sub deprecantis affectu. Integre autem dicitur Osianna, quod nos correpta vocali *i*, Osanna dicimus (83). Interpretatur autem *salvifica*, subaudiendo vel populum tuum, vel totum mundum. Hanc partem hymni cantavit turba die Palmarum, præcedens Dominum Jesum. Diaconi vero, vel subdiaconi, cæterique ministri, qui circumdant sacerdotem, representant eos qui cum Christo fuerunt in cenaculo magno strato, eique astiterunt per ministerium corporale. Representantur etiam mulieres quæ, discipulis fugientibus, perseveraverunt in passione Domini.

Post finitum hymnum: *Sanctus, sanctus, sanctus*, inclinant se circumstantes, venerando divinam majestatem cum angelis, Domini incarnationem cum turbis, et inclinati perseverant, usque dum finiatur omnis præsens oratio, id est usquequo dicatur post orationem Dominicam: *sed libera nos a malo.* Hic ergo representantur illi, quibus in Evangelio Dominus dicit: « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis (Luc. xxii, 28). »

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum, D *Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus per piam a te cogitationem, ac petimus per bonorum operum executionem, uti accepta habeas, bonam voluntatem nostram præveniando, et benedicas, in bonis actibus subsequendo, hæc dona panis, ubi farina et aqua sunt, hæc munera, ¶¶¶¶ ubi vinum et aqua sunt quibus donemur in æterna beatitudine, et quibus muniamur in præsentī vita contra diaboli persecutionem: hæc sancta sacrificia illibata, id est*

A *per quæ sanctificemur; et per representationem horum visibilium, sacrificemus tibi coram te in altari tuo sublimi, corde contrito, et humiliato spiritu, per hæc illibati, id est incontaminati a maculis hujus vitæ.*

Hic sacerdotes tres orationes exercent, sicut Dominus fecit postquam exivit in montem Oliveti ante traditionem suam (Matth. xxvi). Primam pro universali Ecclesia cum suis rectoribus; secundam, pro specialibus fratribus, quorum eleemosynam susceperunt aut munus, aut quorum sponsores facti sunt, vel quorum præsentia tuentur in officio missæ, quorum sacrificium laus est; tertiam pro seipsis sacerdotibus et ministris, qui communicant sanctæ Mariæ et ipsis apostolis in uno Domino, id est, exemplo illorum sacrificium visibiliter et invisibiliter offerentium, ut in omnibus protectione Domini muniantur.

Docti enim sumus in Veteri Testamento pro quibus offerre debeamus sacrificia; scilicet pro votis, pro spontaneis, pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro Juda [id est *f.* pro inimicis]. Quando adimplemus ea quæ in tribulatione promisimus, pro votis facimus. Quando gratias agimus de perceptis, pro spontaneis. Quando compungimur de commissis, pro peccato. Quando erecti corde petimus, pro regno, pro regibus. Quando pro stabilitate sacrorum graduum, pro sanctuario. Quando pro pace et unitate populi, pro Juda. Ubi sit sacrificium pro papa, pro rege, pro antistite, pro cæteris rectoribus, ex Pauli institutione agitur, qui de hoc **C** Timotheum instituit, dicens: « Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, » etc. (1 Tim. ii, 1).

In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, compe- scens visibiles inimicos, dans virtutem contra spiritalia nequitie in cœlestibus, *adunare et regere, propriam ad te conversationem et mutuam in invicem charitatem; et regere, ne a via veritatis declinemus, et ne ad tempus credamus, et in tempore tentationis, digneris toto orbe terrarum, una cum papa nostra N. et antistite nostro N. et omnibus orthodoxis, atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus.*

Memento, Domine, famulorum ¶¶¶¶ famularumque tuarum, et omnium circumstantium. Ubi dicitur omnium circumstantium, ex auctoritate canonum præcipitur quod presbyter nullomodo debet solus missam celebrare, nullus etiam debet hoc tempore orationis, (84) si imbecillitas ejus corporis manet, *sodere, sed circum astare omnes et orare. Quorum tibi fides cognita est, in oculis tuis credendo; et nota devotio, pia opera exsequendo, pro quibus tibi offerimus, id est quorum charitate et rogatu ad*

bertinum.

(84) Error amanuensis, pro nisi imbecillitas ejus corporis obstat.

(2) Hom. 34 in Evang.

(83) Vide Serm. in Dominica Palmarum. Unde etiam probari potest hunc Tractatum esse Hilde-

hoc altare cum oblatione accedimus, *vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*, id est, qui per nos tibi offerunt, qui inopiam et necessitatem carnis sustentant, et ministris tuis dant temporalia, ut metant spiritalia: *pro se suisque omnibus*. Hæc qua intentione faciant sequentia exponunt. Non pro lucris temporalibus, aut pompis hujus sæculi, sed *pro redemptione animarum suarum*, id est *pro spe salutis percipiendæ cum sanctis, et incolumitatis suæ in corporibus*, ut sanitas corporum transeat ad salutem animarum; *tibi que reddunt vota sua*, id est quod voverunt corde, reddunt opere, *æterno Deo vivo et vero*, quia præter te non est Deus, et quoniam qui dicuntur dii, falsi sunt et sine anima, nec sibi, nec aliis prosunt.

Communicantes, id est offerimus tibi ista desiderantes et quærentes per hæc quæ omnes actus nostros excedunt, ut communionem et partem habeamus in perenni beatitudine cum eis qui se suaque corde, ore et opere tibi obtulerunt in suam salutem, et hujus sacrificii exemplum et confirmationem. *Et memoriam venerantes*. Ideo venerantes eorum memoriam agimus, exemplo eorum tibi quotidie sacrificamus, ne salutis tantæ effectus a fragili nostra memoria excidat; gratiarum actiones tibi Deo referentes et eis, quia es institutor tanti sacramenti, et largitor totius boni, eis qui faciendo præcesserunt, et intercedendo subveniunt.

In primis gloriosæ semperque Virginis Mariæ, Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Thadæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani, « (85) necnon illorum, quorum solemnitas hodie in conspectu majestatis **1119** tuæ celebratur, et omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, per eundem. . . Per eum accedimus ad te Deum Patrem, qui Mediator existens, assistit vultui tuo, pro nobis dirigentibus per illum preces nostras ad te. Unde Paulus ait: « Accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis (Hebr. vii, 15). »

Hanc oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ

(85) Verba necnon illorum. . . celebratur non habentur in canone quo nunc utimur in missa. Notat autem Martenius noster similia olim in variis canonum libris post sanctorum adnotata nomina, memorata generatim fuisse nomina eorum quorum solemnitas illis die celebratur. Sic in vetustissimo codice bibliothecæ Regiæ annorum circiter nongentorum, post nomina Dionysii, Rustici et Eleutherii, Hilarii, Martinii Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, additur: *Necnon et illorum quorum hodie in conspectu gloriæ tuæ gloriosus celebratur triumphus*. Quæ verba, inquit Berno, Augiensis abbas, libello de Ritibus missæ, addita sunt a Gregorio III papa, de quo et liber Pontificalis: *In canone missæ, inquit, hoc adjecit ita a sacerdote dicendum: Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur*. In antiquo sacramentario Gallicano hæc adduntur: *Et omnium san-*

A familie tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias. Hic fit oratio ad Deum, ut dignetur veta electorum suorum suscipere, atque ideo ei præsentatur per nomen demonstrativum, dicendo: *Hanc igitur oblationem*, etc. Quod postea subjungitur, additum est a S. Gregorio: *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æternæ damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari*. Ostendit nullum securum esse posse in præsentis sæculo de sua stabilitate, quamvis perfectus esse videatur, ac ideo necesse fore ut semper deprecetur in pace disponi dies suos in præsentis sæculo, remotis visibilibus et invisibilibus inimicis, ut sic adnumeretur in grege electorum.

A te igitur, clementissime Pater, usque huc celebratur sacrificium electorum, qui non habent in carne quod eis repugnet, neque in conscientia quod turbet. Sicut enim erant duo altaria in tabernaculo Moysi, sive in templo Salomonis, unum thymiamatis, alterum holocausti, ita sunt duo sacrificia sanctæ Ecclesiæ; unum est in quo omnes carnales motus sopiti sunt, quod celebratur ab initio orationis usque ad oblationem *Tu Deus*, ubi commemorantur qui jam regnant cum Deo, et quibus Ecclesia, etsi non in omnibus, tamen in multis membris suis unitur et concorporatur. Alterum est, in quo necesse est quotidie carnales **1120** motus mactare, quod agit sacerdos, descendens ad universale sacrificium, et immolationem Christi, quod celebratur ab hoc loco: *Quam oblationem usque Nobis quoque peccatoribus*.

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, per quam hic in æternum benedicamus; ascriptam, per quam omnes in consortio sanctorum conscribantur; ratam, id est distinctam a cunctis oblationibus, quæ falso falsis et vanis idolis immolantur, ubi nihil ratum est; rationabilem, per quam a bestiali sensu excitamur et intelligimus qua ratione, vel quo respectu salutis agamus; acceptabilem, ut qui ex nobis discipulemus, per hanc acceptabilem tibi placeamus, facere digneris, ut nobis (86) cor + pus et san + quis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit,

clorum tuorum qui per universum mundum passi sunt propter nomen tuum, Domine seu confessorum tuorum, quorum meritis, etc. Videsis Martenium ipsum lib. I De antiquis Ecclesiæ ritibus, cap. 4, art. 8. Hic porro Hildeberti locus non parum ejus assertioni suffragatur.

(86) Ex eodem ms. — *De duabus crucibus*. Sacerdos facit cruces duas super oblata, juxta calicem, ut doceat Christum esse depositum de cruce, quia pro duobus populis crucifixus est.

De cruce quæ fit super calicem. Cruz quæ formatur super calicem, particula oblata, ipsum corpus ante oculos nobis proscrit, quia pro nobis crucifixum est. Ideo tangit sacerdos quatuor latera calicis de corpore, quia per illud humanum genus a quatuor plagis terræ, ad unitatem corporis accessit, et ad pacem Ecclesiæ catholicæ rediit.

it ipsemet et panem quem porrigere discipulis
bat, ut ostenderet corporis sui fractionem et
ionem absque sua voluntate non venturam, sic
se antea prædixerat: « Potestatem habeo po-
li animam meam (Joan. x, 18). »

*dit discipulis suis, dicens: Accipite et mandu-
ex hoc omnes, Hoc est corpus meum.* Nam sicut
Christi, quam assumpsit in utero virginali, ve-
corpus ejus est, et pro nostra salute occisum,
anis quem Christus tradidit discipulis suis, et
a quotidie consecrant sacerdotes in Ecclesia,
virtute divinitatis, quæ illum replet, *verum cor-
st Christi.* Nec sunt duo corpora illa caro quam
mpsit et iste panis, sed *unum et verum corpus
Christi*, in tantum ut dum hic frangitur et co-
itur, Christus immoletur et comedatur, et tamen
per et vivus permaneat.

¶ *21 Simili modo postquam cænatum est, ac-
ns et hunc (87) præclarum calicem in sanctas ac-
rabiles manus suas; item tibi gratias agens, be-
rit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite et bibite
) omnes: HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI novi
zmenti et æterni.* Subaudi confirmator. Novi tes-
enti dicitur ad distinctionem veteris, quod con-
atum est sanguine hircorum et taurorum, sicut
itur in Exodo (xxix, 8), cum collegit Moyses hunc
uinem, et aspersit populum, dicens: « Hic est
uis Testamenti quod mandavit ad vos Deus. »
liter novum Testamentum, id est Evangelium,
ontinentur promissiones æternæ vitæ et patriæ
stis, confirmatum est sanguine passionis Christi,
quotidie celebratur in Ecclesia. Omne enim te-
entum in morte confirmatur testatoris. Æterni
Testamenti ideo dictum est, quia Testamentum
l scripsit Moyses, et diversorum animalium san-
e aspersit, et confirmavit, usque ad tempus cor-
onis fuit impositum, sicut Paulus qui ad Hæ-
s dicit (ix): Et in adventu Christi resolutum est,
quod tunc agebatur in diversis pecoribus, hoc
lventu Christi in ablatione panis et vini, et in
tis probisque moribus agitur, in morte Christi
irmatum est; æternum est juxta illud Psalmi-
« Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordi-
Melchisedech (Psal. cix, 4). » A passione enim
ini nostri Jesu Christi, usque ad consummatio-
sæculi, juxta ritum Melchisedech, offeruntur

1) (a) *De presentia angelorum tempore sacrificii.*
modo posito in sepulchro corpore Salvatoris, an-
astitisse leguntur, ita etiam celebrandis ejus-
sanctissimi corporis mysteriis, tempore con-
ationis assistere credendi sunt.

3) *De elevatione calicis.* Christi depositionem de
e monstrat elevatio sacerdotis et diaconi. Dia-
is qui elevat calicem de altari, et involvit suda-
ab aure [f. ora] calicis, usque ad aurem [f.
a], representat Joseph, qui audacter introivit ad
tam, et petiit corpus Jesu, et mercatus, syndo-
nvolvit illud.

4) *His qui portant vasa Domini.* Acolythus tenet

5) *Hæ notæ ex ejusdem ms. margine sunt desumptæ.*

A panis et vinum in altari, et quod ibi videtur, et
creditur, et intelligitur, nunquam mutabitur.

Mysterium fidei. Panis et vinum mysterium sunt,
id est sacramentum, vel designatio ejusdem fidei,
ejusdem spei, ejusdem charitatis nostræ. Sicut enim
de multis granis unus panis, et de diversis racemis
unum vinum efficiuntur, ita per fidem integram, per
spem perfectam, per charitatem intimam Dei et pro-
ximi, unum in Christo effici debemus, juxta ¶ *1122*
illud in Evangelio: « Pater, volo... ut omnes unum
sint (Joan. xvii, 21). » Et alibi: « Erat eis cor
unum, » etc. (Act. iv, 32).

*Qui pro vobis, et pro multis effundetur in remis-
sionem peccatorum,* utique pro electis, et pro illis qui
fervore charitatis, vestigia passionis meæ sequi vo-
luerint (88).

*Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam fa-
ciatis.* Dominus nobis hoc sacramentum salutiferum
relinquens, ut illud insingeret cordibus et menti no-
stræ, egit more alicujus hominis, qui proximus
morti, munus aliquod pretiosum dimittit amico suo,
dicens: Habe hoc cum omni diligentia penes te in
memoriam mei, ut quotiescunque illud videris, mei
recorderis. Hic igitur relictum munus suscipiens,
non potest non dolere et tristari de funere amici,
quotiescunque hoc aspexerit, si illum toto animo
dilexerit. Similiter et nos quotiescunque accedimus
ad consortium [f. conficiendum], consecrandum,
vel percipiendum sacramentum muneris æterni,
quod nobis Dominus in memoriam sui dimisit te-
nendum, cum timore et compunctione cordis, om-
niquè reverentia debemus accedere, recolentes quan-
to amore dilexit nos, qui pro nobis se ipsum obtulit
ut nos redimeret.

*Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et
plebs tua sancta ejusdem Filii tui Domini nostri tam
beatæ passionis, necnon et ab inferis resurrectionis,
sed et in caelos gloriosæ ascensionis, offerimus præ-
claræ majestati tuæ de tuis donis ac datis.* Dona
sunt gratiæ divinæ, quando per invisibilem contriti
cordis immolationem fideles se Christo offerunt. *Ac
dati.* Data sunt in opere temporali, quando hæc
visibilia pia frequentatione exsequuntur. *Hostiam
puram,* ut conscientias purificet; *hostiam sanctam,*
ut in bonis operibus ad exemplum aliorum sanctifi-
cet et confirmet *hostiam immaculatam,* ut ne in

D patenam involutam linteo, subdiaconus nudam; unde
liquido apparet quod consecrata vasa a consecratis
tantum clericis merito debeant attingit, sicut Esdras
antiquitus instituit, et decreta præcipiunt.

De erectione subdiaconi. Quando vero subdiaconi
erecti in opus presbyteri intuentur, representant
amicos et proximos, de quibus, explicata passionis
suscipiens, Patri conqueritur, dicens: « Elongasti a
me amicum et proximum (Psal. lxxxvii, 19). »
Quando presentant se cum patena, affectum sancta-
rum feminarum commemorant circa sepulchrum
Domini.

lapsus mortiferum incidamus, et immaculatos nos conservet; *panem sanctum vite æternæ*, qui per finem in Deo jam facit subsistere in hoc fragili corpore, vitam **1123** æternam contemplando, meditando, desiderando; *et calicem salutis perpetuæ*, quo animarum nostrarum infirmitas fideliter et salubriter potata, non ad tempus, sed perpetuo salvatur. A *Quam oblationem usque salutis perpetuæ* commemoratur ordo Dominicæ incarnationis et passionis, quo ordine egerit, et hoc sacramentum nobis instituerit. Quod autem foras agitur, signaculum est illius quod intrinsecus latet, juxta illud Apostoli: « Mortificatus carne, vivificatus autem spiritu (I Petr. III, 18). Sequitur:

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habeas, sicut habere dignatus es munera pueri tui justis Abel. Hoc factum est, cum despecto munere fratris ejus Cain, ad munera ipsius [Abel] Dominus respexit (Gen. IV), et sicut beatus Augustinus ait ut, ipsius hostiam sibi acceptam ostenderet, ignem de cælo misit, qui etiam eam totam inflammaret atque consumeret. Nam Cain hoc modo suum esse despectum, illius vero sacrificium Domino beneplacitum esse cognovit.

Et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ (Gen. XV). Aug. ex Tract. in psal. CIII: Dictum est de illo sacrificio satis mystico, cum ex responso Domini accepit tria animalia, arietem triennem, vaccam triennem, et turturem et columbam. Divisit arietem, divisit capram, divisit vaccam, aves autem non divisit. Sicut hoc scilicet, quia quoad homines animales sunt et carnales, divisibiles sunt. Facile in schismata, in sectas, in hæreses ducuntur. Sed aves, id est spirituales, qui virtutum alis ad cælestia transvolant, non habent divisionem, non cogitant schismata. Pax est in eis, custodiunt et in cæteris quantum possunt. Ubi in aliis ipsa deficit, in se tenent, implentes illud Apostoli: « Quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes (Rom. XII, 18). »

Et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam Hic Abrahæ revertenti a cæde hostium, panem et vinum obtulisse legitur (Gen. XIV), sed Domino obtulisse non legitur. Credendum tamen quod ipsum panem et vinum prius Domino obtulisset, cum summus sacerdos Domini dictus fuisset. In hac vero præcedenti oratione intelligitur populus, qui dat oblationem suam, id est panem et vinum, juxta ordinem Melchisedech: et hoc exprimit pia desideria intrinsecus latentia, sive sint pro gratiarum actione, juxta altare thymiamatis, sive pro peccato, juxta altare holocausti. Sacrificium enim visibile invisibilis sacrificii sacramentum, **1124** id est sacrum signum est. Unde Augustinus: Orantes atque laudantes, ad eum dirigimus sacrificantes voces, cui res ipsas quas sacrificamus in corde offerimus; et ita sacrificantes, non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus, quam illi, cujus in cor-

(89) Ex eodem ms. — *De exaltatione vocis.* Quando

A dibus nostris invisibile sacrificium esse nos ipsal debemus. In hoc etiam sacrificio, quod Christus manibus suis instituit, commemorantur Abel, Abraham, Melchisedech, ubi Dominicum sacramentum longe ante præsignatum confirmatur, et tantorum virorum merito et intercessionibus intelliguntur. Inseritur quoque mira fides sanctæ Ecclesiæ, ubi subjungitur:

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum. Corpus Christi non merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et virtute Spiritus sancti. Sicut enim Deus est qui baptizat, ita ipse Deus est, qui per Spiritum sanctum hunc panem suam efficit carnem, hoc et vinum suum efficit sanguinem.

B Ut quid enim sacerdos in conspectu majestatis divinæ deferri ea deposuit [f. disposuit,] nisi ut intelligatur quod in eo sacerdotio ista fiant?

Ut quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, benedictione cælesti et gratia repleamur. Sacerdos oculis spiritualibus videt quod mortalibus non potest. Videt enim et credit sacrificium præsens per angelorum manus deferri, et sentit mandandum esse ab humano ore corpus Domini, et bibendum sanguinem, cælestique benedictione et gratia repleti animasumentium. Nec vero mira fides et pia ministrantium devotio obtinet, ut natura panis et vini vertantur in naturam rationabilem corporis et sanguinis Christi, ubi delentur peccata eorum, qui contrito corde et humiliato spiritu agunt et intersunt. Inseritur et commemoratio pro universis defunctis, quando dicitur:

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et omnium qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsi, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, etc. Quia pro incredulis impiisque defunctis illicitum est orare, sicut et pro malignis spiritibus. *Locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas, deprecamur, per Christum Dominum nostrum. Locum...* juxta B. Augustinum. Cum sacrificia sive altaris, sive quarumcumque elemosynarum pro baptizatis defunctis **1125** omnibus offeruntur, pro valde bonis actiones gratiarum sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etsi non sunt ulla adjuvamenta mortuorum, qualescunque sunt consolationes vivorum. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. Sequitur:

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus, cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agneta, Cæcilia, Anastasia, et cum omnibus sanctis tuis.

(89) Determinatio sacrificio quasi super altare holocausti sacerdos exaltat vocem suam, dicendo: *Nobis quoque*

causti, et pro pœnitentium prælibato affectu, ministri et circumstantes multitudinem peccatorum suorum considerant, et multitudinem miserationum Dei, et nondum sopitis motibus carnis, sicut in priori sacrificio, quod est thymiamatis, id est laudis, conscii de sua infirmitate humiliter petunt, ut cum sanctis qui in fide hujus sacramenti præcesserunt, habeant partem aliquam, et illorum vitam imitando, habeant societatem cum eis, in æterna beatitudine regnando; quod exponunt verba sequentia: *Intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor, admitte, per Christum.* Quia major est potentia tui summi medici, quam infirmitas cujuslibet ægroti. *Per quem hæc omnia semper bona creas, sanctificas, creas, panem et vinum ut terra concipiat et proferat: sanctificas, simplicem naturam hujus panis et vini in naturam tui corporis et sanguinis transferas: vivificas, quia vivum et verum tuum efficis corpus, per hoc interiorem hominem nostrum vivere faciens; et quomodo sanctificas et vivificas, benedixisti.* Primum enim consecratur panis, et benedicitur a sacerdotibus et Spiritu sancto; et deinde licet panis videatur, tamen sit in veritate corpus Christi. Unde ait B. Augustinus: Non omnis panis, sed panis accipiens benedictionem Christi sit corpus Christi. *Et præstas nobis, ut his fruamur.* Dominus enim et Redemptor noster consulens nostræ fragilitati, quia cognovit nos pronos esse ad peccatum, tradidit nobis hoc sacramentum, ut quia 1126 ipse jam non potest mori, et nos quotidie peccamus, habeamus verum sacrificium, quo possimus explari *per ipsum, quia Christus, secundum perfectam deitatem, cum Patre largitor est totius boni cum eo: et cum ipso, quia Christus præcessit testis fidelis in cælo, et homines ut secum sint trahit: et in ipso, quoniam cooperante Spiritu sancto extra ipsum, non est locus veri sacrificii: est tibi Deo Patri omnipotenti, qui hæc largiris in unitate Spiritus sancti, omnis honor a nobis, id est exhibitio divini cultus, et gloria, id est mundæ conscientie te glorificantis puritas, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Sequitur:

Oremus. Præceptis salutaribus moniti. Præcepta salutaria constant in evangelica doctrina; et divina institutione formati. Institutio intelligitur traditio quam ipse dignatus est tradere et instituere interficiendo [scilicet in perficiendo] corporis et sanguinis sui sacramento. Ubi notandum quod non est præsumptuose intrandum ad eam, sed cum reverentia et corde serenato *audemus dicere: Pater noster, qui es in cælis.* Invenimus Patrem in cælis; attendamus [igitur] quemadmodum vivamus in terris. Sic enim debet vivere qui invenit talem patrem, ut dignus sit venire ad ejus hæreditatem. Intelligant ergo se esse fratres, quando habent unum Patrem, et non dedignetur parem habere servum suum dominus ejus, quem fratrem voluit habere Dominus Christus.

peccatoribus, representatur centurio, qui ex intimo cordis affectu dixit: Vere hic homo justus erat. Gentiles quippe, moriente Christo, Deum timentes,

A *Sanctificetur nomen tuum.* Sanctificatio nominis est Dei, qua nos efficitur sancti. Nam nomen ejus semper est sanctum. *Adveniat regnum tuum.* Optamus etiam venire regnum ejus: veniet, etsi nolimus; sed optare et orare ut veniat regnum ejus, nihil est aliud quam optare ab illo, ut dignos nos faciat regno suo. Cum ergo oramus, et dicimus: *Adveniat regnum tuum,* optamus ut nobis veniat. *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra.* Serviunt tibi angeli in cælo, nos tibi serviamus in terra. Non te offendunt angeli in cælo, non te offendamus in terra. Aliter. Cælo enim comparatur spiritus noster, terræ autem caro nostra. Quod est ergo, *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra,* ut quomodo menti nostræ placet tua jussio, sic et consentiat caro nostra. Aliter. Ut cælum ponamus Ecclesiam, quæ portat Deum; terram vero infideles, quibus dictum est: «Terra es, et in terram ibis (Gen. III).» Quando ergo oramus 1127 pro inimicis Ecclesiæ, hoc oramus, ut fiat voluntas ejus sicut in cælo et in terra. Hoc est, sicut in tuis fidelibus, sic et in tuis blasphematoribus, ut cælum fiant.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Potest simpliciter accipi orationem istam nos fundere pro victu quotidiano, ut abundet nobis; et si non abundet, non desit nobis. Aliter. Panem nostrum, id est Eucharistiam tuam, hoc est corpus, tuum da nobis quotidianum cibum. Ergo *Panem nostrum quotidianum* quid est? Id est sic vivamus ut ab altari tuo non separemur. Et hoc ergo petimus simpliciter, et quidquid animæ nostræ carnique in hac vita necessarium est, quotidiano pane concluditur: «Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.» (I Cor. XI.) Unde B. Augustinus dicit (90): Videte ergo, fratres: panem celestem spiritualiter manducate; innocentiam ad altare portate. Peccata, etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis: *Dimittite nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Dimittis, dimittetur tibi. Securus accede; panis est, non venenum. Sed vide si dimittis; nam si non dimittis, mentiris, et ei mentiris quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Intus te videt, intus te examinat, intus aut damnat, aut remunerat.

B *Et ne nos inducas in tentationem.* Dux enim sunt tentationes: una probationis et altera seductionis; sed ne in hanc inducatur quilibet fidelis, Patrem suum deprecatur, dicens: *Et ne nos inducas in tentationem,* id est ne nos patiaris induci ab eo qui nos tentat pravitate auctore. *Sed libera nos a malo.* Qui vult liberari a malo, testatur in malo est. Ideo «declina a malo, et fac bonum; quære pacem, et sequere eam (Psal. xxxvi, 47),» ut impleatur quod orasti, libera nos a malo. Amen. Omnem igitur precem nostram Magister noster salutari sermone bre-

aperta voce confessionis Deum glorificant. Judæi solum percutientes pectora, silentes redeunt.

(90) Tract. 26 in Joan.

viavit in hac oratione. Sequens quippe oratio, libera nos, quæsumus, Domine, expositio est hujus novissimæ petitionis, id est, ab omnibus malis... A quibus malis? Scilicet, præteritis, præsentibus, et futuris. Et remota omni perturbatione malorum, pacis quies a Deo petitur, cum dicitur: *Et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Maria, et beatis apostolis Petro 1128 et Paulo, atque Andrea, cum omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris.* Nulla pax tutior, quam obedire Domini præceptis, declinare a malo, et facere bonum, et quia nihil humanis meritis potest tribui, subditur: *Ut ope misericordiarum adjuti; ac deinde aptius a quo, et a peccato simus semper liberi; et quia pacem precamur, adjungit: Et ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.* Sequitur: *Pax Domini sit semper vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.* Per pacem constat populum ad omnia quæ in mysteriis aguntur atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse demonstrantur signaculo pacis concludentis. Quod vero corpus Christi in altari permanet, donec tres compleantur orationes, id est, *Præceptis salutaribus moniti, et ipsa oratio Dominica, et Libera nos, quæsumus, Domine,* significat corpus Christi tribus diebus quiescisse in sepulcro. Post tres autem orationes de altari corpus Christi auferunt, eo quod pro sepulcro in hac significatione accipitur, quia post tres dies corpus Christi de sepulcro surrexit (91).

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, duabus vicibus; ad finem vero, *dona nobis pacem.* Est enim deprecatio pro populo, qui sumpturus est corpus Domini, ut misericordia innocentis Agni peccata subitanea et irruentia auferantur, scilicet cogitationum et verborum. Sicut passione sua totius mundi tulit peccata, ita et nunc Ecclesie, quæ eum susceptura est per Eucharistiam.

De communionem [f. *De postcommunionem*]. Antiphona sequens, id est, vox reciproca jura fraternitatis custodit, ubi unusquisque alterius utilitati studeat, et curet provocare ad gaudia resurrectionis. Quem typum gesserant illi duo qui Dominum cognoverunt in fractione panis, et illico perrexerunt in Jerusalem, et invenerunt congregatos undecim, etc. Illi nempe cantaverunt antiphonam, quam usitato [nomine] vocamus Postcommunionem

De collecta post communionem. Ultimam benedictionem, quam orationem vocamus, dat sacerdos, quia Dominus ante ascensionem suam in cælos, duxit 1129 discipulos suos in Bethaniam, ibique benedixit eos. Hunc morem tenet sacerdos, quando post

consummata sacramenta dat benedictionem solemnem.

De Ite, missa est. Tunc demum a diacono dicitur: *Ite, missa est,* id est *Ite in pace in domos vestras.* Quia tamen missa est pro vobis oratio ad Deum, et per angelos, qui nuntii dicuntur, allata est in divinæ conspectu majestatis. Respondens populus dicit: *Deo gratias.* Quia apostoli post Ascensionem adorantes Dominum, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno, et erant semper in templo laudantes Deum et benedicentes Dominum. Altera benedictio, seu *Collecta super populum in Quadragesima.* Hæc frequentatur Quadragesimali tempore, post illam continuatim ponitur, in qua spiritualis refectio commendatur; hic enim militum Christi commendantur pugnae contra antiquum hostem. Antiqui vero sancti Patres in novissimo benedixerunt sanctos. Quando autem familiarem affatum habemus cum servis Dei, « more religionis nostræ (92), » antequam separemur ab illis in ultimo benedictionem petimus.

De ordine crucum.

Sex sunt ordines crucum in Canone; quorum primus, ubi dicitur: *Et benedic hæc dona,* propter legem videlicet naturalem, id est, quod tibi fieri non vis alteri ne facias, quæ fuit ab Adam usque ad Moysen, quia etsi ipsius temporis sancti Patres non viderint crucem Domini, cruciatum tamen carnis pro ejus amore tulerunt. Secundus, ubi *Quam oblationem tu, Deus benedictam,* ob legem per Moysen datam; sub ipsa enim sancti Patres ob Christi desiderium, ejus cruciatum toleraverunt. Tertius ubi: *Et accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas,* propter prophetarum præconia, quæ fuerunt a Samuele propheta, usque ad Joannem Baptistam, qui etiam adhuc vivus eum manibus tangebatur. Quartus, ubi *hostiam puram* propter Evangelium quod Christus tempore suo evangelizavit, quia ipsis diebus cruciatum Christi ferentes sancti, ejus corpus adunaverunt. Quintus, ubi *sanctificas, vivificas,* gentilium ecclesias tangens, quia corpus Christi tumultantes, ejus cruciatum perpessi sunt. *Per ipsum et cum ipso* ob in fine sæculi gentium et Israel salutem, qui complentes simul Christi corpus, maxime Christi crucem, hoc est cruciatum, patientur. Senarius enim numerus 1130 partibus suis computatus primus [f. minus] perfectus est sine altero. Quinque ordines crucum quæ fiunt ante sextum, quando cum oblata tangitur calix, quinque sunt sæculi ætates usque ad Christi adventum. Sextus ordo sexta est ætas a Christi adventu usque in finem sæculi.

(91) Ex eodem ms. — *De corpore Domini Tripartito.* Per particulam oblatæ missæ in calicem, ostenditur corpus Christi, quod jam surrexit a mortuis. Per comestam a sacerdote, vel a populo, ambulans adhuc super terram. Per relictam in altari, jacens in sepulcro.

(92) Nota morem antiquum benedictionis, quam monachi etiamnum plurimi a superioribus suis in accessu et discessu e monasterio solent accipere; unde et monachus Hildeberti posset probabiliter evinci.

De diversitate crucum.

Quæ solent diverso modo fieri super panem et vinum, non est quid dicatur ex aliqua auctoritate Scripturæ cur taliter et in tali loco figurantur, vel quare ab aliis plures, ab aliis pauciores fiant. Si semel sacerdos crucem faceret super panem et vinum, posset sufficere, quia semel crucifixus est Dominus. Sed, sicut ait Apostolus, unusquisque in suo sensu abundet, et quod sit ex pia devotione, et ad aliquod mysterium respicit, non videatur otiosum. Quando enim sacerdos facit quinque cruces super panem et vinum, et circa calicem, mittit nos ad reconciliationem, seu recordationem quinque vulnorum quæ pro nobis passus est Jesus Christus. Quando vero tres, sanctæ Trinitatis nobis fidem insinuat. Et his omnibus debemus muniri supra et infra, et circa et intra. Ex verbis deinde sancti Augustini in libro De doctrina Christiana: Quidquid ex testimonio Scripturarum potest aptari quod non sit absurdum, a catholico intellectu non est reprobandum. Quando autem Dominus benedixit panem et vinum, si fecit crucis signaculum, norunt qui interfuerunt, præsertim cum necdum esset erectum sanctæ crucis vexillum. Sed post passionem Domini, sicut dicit B. Augustinus in expositione Evangelii Joannis, si non adhibeat hoc signum sive in frontibus credentium, sive chismali, sive sacrificio, sive aqua baptismatis, nihil horum rite perficitur; et quod ex pia devotione fit sæpius, vel iteratur in confectione illius mysterii, virtutem tant sacramenti nobis accumulatur. Beatus vero Ambrosius dicit: Ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem sequere, si non vis pati, aut facere scandalum.

Cur canon secreto dicatur, et oratio Dominica alta voce.

Notandum cur canon secreto dicatur, et Dominica oratio alta voce. Scilicet, Christus in Evangelio dicit: « Tu autem, cum oras, intra in cubiculum tuum, etc. (Matth. vi, 6). » Et Jeremias propheta dicit: « In sensu [s. in spiritu] debet adorari Deus (93). » Et alibi: « Si absconditus fuerit **1131** homo in absconditis, ego non videbo eum? Nonne cælum et terram ego impleo? » (Jer. xxiii, 24.) Ex hoc secretis verbis canon pronuntiatur; et etiam alio respectu, videlicet ut habito circumquaque silentio, ministri et circumstantes se ipsos infra ipsum canonem recolligant, vimque et rationem tanti sacramenti advertant quatenus eis proficiat. Oratio vero Dominica brevi sermone conclusa excelsa voce canitur, quatenus per ejus pronuntiationem et efficaciam omnes præsentibus excitentur ad fidem tanti mysterii, et ex præcedentibus in canone, et ex sequentibus post dictam orationem. Apostoli denique in fractione panis nihil plusquam orationem Dominicam leguntur dixisse.

A Quod septem petitiones sacri canonis conveniunt septem petitionibus Dominicæ orationis.

Notandus est ordo supradicti canonis. Septem sunt quippe petitiones in canone sicut et in Dominica oratione. Tres ab initio usque ad *Quam oblationem*. Prima pro universali Ecclesia. Secunda pro specialibus fratribus. Tertia pro sacerdotibus, vel ministris, vel circumstantibus. Quarta a *Quam oblationem* usque *Nobis quoque peccatoribus*. Scilicet, ordo Dominicæ passionis, tum ejus resurrectionis et ascensionis memoria primo ponitur. Secundo, Abel, Abraham, Melchisedech in Domini sacramenti confirmatione cum sua oblatione inseruntur. Tertio, mira fides Ecclesiæ in conficiendis corpore et sanguine Domini manifestatur. Quarto, pro universis defunctis memoria agitur. Legitur prima petitio in oratione Domina. *Sanctificetur nomen tuum* convenit universali Ecclesiæ, quæ nescit aliud nomen sub cælo, nisi nomen Domini. Secunda: *Adveniat regnum tuum* respondet specialibus fratribus, qui reddunt vota, et oblationes faciunt, ut regnet in eis Deus. Tertia: *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra* congruit sacerdotibus et ministris, qui beatæ Mariæ et apostolis sanctisque aliis volunt et desiderant uniri et incorporari. Quarta, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* aptatur ordini passionis, resurrectionis et ascensionis, quia ipse est panis vivus qui de cælo descendit. Quinta: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* conjungitur sanctis viris, Abel, Abraham, Melchisedech, qui ad agnitionem promptissimi, et præsignatores Domini sacramenti, per fidem et mansuetudinem obtulerunt gratiam Dei. Sexta: *Et ne nos inducas in tentationem* apponitur miræ fidei sanctæ Ecclesiæ, quæ orat ne **1132** inducantur in tentationes hæreticorum. Septima: *Sed libera nos a malo* omnium defunctorum memoriæ concordat, ubi viventes orant, ut cum omnibus fidelibus defunctis liberentur a malo.

Quod non nisi jejuni debeant corpus Domini accipere.

Liquido patet quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Dicitur enim in Evangelio, quia cum illi manducarent, accepit Jesus panem, et benedixit, cum etiam superius dixisset: « Cum sero factum esset, recubebat cum duodecim, et manducantibus dixit: Quoniam unus ex vobis tradet me (Matth. xxvi), et postea tradidit sacramentum. Nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ institutum quo a jejunis semper accipitur. Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut honore tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intret, quam cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, ideo pransi, aut post

(93 Non invenitur apud Jeremiam, nisi forte æquivalenter.

cenam fratres ad illud accipiendum convenire debent, aut sic faciebant quos Apostolus arguit et emendat mensis sanctis ista miscere. Salvator namque quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memorie discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat, non præcepit, et ideo quo deinceps ordine sumerent, ut apostoli, per quos Ecclesias dispositurus erat, servarent hunc locum [s. ritum].

Utrum quotidie sumenda sit Eucharistia.

Dixerit aliquis non quotidie accipiendam eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies in quibus homo purius continentiusque vivat, quo ad tantum sacramentum dignius accedat. « Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit (I Cor. vi, 29). » Alius e contra. Ino, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altario removeri ad agendam poenitentiam, et eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat quo debet agere poenitentiam, non ut arbitrio suo, cum libet, auferat se communioni, vel reddat. Cæterum si tanta non sunt ut excommunicandus quisque iudicetur, non se de-

bere a quotidiana medicina Domini corporis separare. Rectius inter eos fortasse quisque dirimit litem, **1133** qui monet ut præcipue in Christi pace permaneant; faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit faciendum. Neuter enim eorum exhorret corpus et sanguinem Domini, sed saluberrimum sacramentum certatim honorare credunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisque eorum se alteri præposuit Zachæus et ille centurio, cum unus eorum gaudens in domum suam suscepit Dominum, alter dixerit: « Non sum dignus ut sub tectum meum intres (Matth. viii 8). » Ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo; ambo peccatis miseri; **1134** ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem quod in primo populo unicuique eorum secundum propriam voluntatem manna in ore sapiebat. Sic in ore uniuscujusque Christiani sacramentum illud, quo subjugatus est mundus. Nam ille honorando non audet quotidie sumere, et ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus iste, sicut manna fastidium. Inde enim et Apostolus indigne dicit acceptum ab eis qui non discernebant a cæteris cibis veneratione singulariter debita.

Explicit liber expositionis missæ.

IN SEQUENS POEMA BREVE MONITUM.

Varios in variis codicibus manuscriptis et editionibus titulos sortitur hoc poema. Editio Parisiensis an. 1548 habet: *De concordia veteris ac novi sacrificii*. Antuerpiana an. 1560 a Wolfgangio Lazio, et quidam manuscripti: *Versus de mysterio missæ*. Ebroicensis codex: *Incipit liber Hildeberti de missa*. Coloniensis et nova Lugdunensis an. 1677: *Hildeberti Turonensis archiepiscopi versus de mysterio missæ*. Qui quidem titulus innuere videtur Hildebertum hoc non edidisse poema, nisi cum Turonicæ sedi præesset, post annum scilicet ætatis suæ septuagesimum, et annum Christi 1125, quod, habita ratione senectutis ejus, et gravissimorum negotiorum quibus statim post suam in Turonensem sedem instaurationem incumbere compulsus est, minus probabile videtur. Probabilius autem est illud composuisse, vel cum adhuc sub sancto Hugone Cluniaci moraretur, vel cum scholiarcha Cenomanensis effectus est, tum cum illum multum intererat, ut ab erroribus Berengarii, cujus in humanioribus auditor fuerat, immunem omnino se præstaret, et scripto etiam publico probaret; quod et duobus præcedentibus tractatibus, et præsentis, subsequentisque poemate effecit. Cæterum, cum nec illorum titulorum varietas, nec temporis periodus, qua illa edidit, magni sit ad rem momenti nihil ad hanc discussionem Lectorem morabimur, id solum monentes quod hoc poema ad sex manuscriptos optimæ notæ codices recensitum et emendatum, et quinquaginta versibus e manuscripto optimæ notæ codices recensitum et emendatum, et quinquaginta versibus e manuscripto Colbertino 6101 auctum damus, quodque summaria in editionibus pluribus, et in nova ipsa Lugdunensi omissa, et in editione Parisiensi, ut in manuscripto codice Ebroicensi notata doximus hic inserenda. Porro in manuscripto Majoris-Monasterii, num. 103, sic pro titulo habetur: *Libellus metricè compositus domni Hildeberti Cenomanensis episcopi, de concordia veteris ac novi sacrificii divini*. Incipit. Deinde:

Fratris Petri Paillard (94) Cenomanensis, in Concordiam veteris ac novi sacrificii divini, elegium carmen.

Hildebertus adest Cenomanus, perlege, lector,
Hoc opus ingenio, moribus eximium.
Moribus eximium deerat meminisse libellum
Quo Christi cœnæ mystica sancta leges.
Mystica sancta leges, missam, solemnia vota,
Hic credas verum semper adesse Deum.
Semper adesse Deum summa est clementia, cœlos
Christicolis confert hostia sacra suis.

1135-36 Hostia sacra suis vitam prætare supernam
Est potis, hanc veniam poscimus ante Deum.
Poscimus ante Deum pellatur ut horrida tabes,
Quas genus humanum labitur, atque cadit.
Labitur, atque cadit peccator, justus ubique